... Nicolaus
... viensis

Rácki Ioannis: Charites Sarmaticae in occursum D. Alb. Nicolao Gnierosz recens ex Italia revertenti.

CHARITES SARMATICÆ

In Occurſum

ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DNO,

D. ALBERTO NICOLAO

DE OLEXOW

GNIEWOSZ

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ,

EPISCOPO WLADISLAVIENSI & Pomeraniæ.

recèns ex Italia reuertenti.

A

M. IOANNE RACKI Philoſophiæ Doctore, & in Alma Uniuerſitate Cracouień. Profeſſore, Collegij Minoris, Poëticæ Ordinario.

EXPEDITÆ.

CRACOVIÆ,
In Officina Chriſtophori Schedelij, S. R. M. Typ.
Anno Iubilei. M. DC. L.

6. f.

In Arma Gentilitia
ILLVSTRISSIMÆ STIRPIS
GNIEVOSSIORVM.



Iam nec Agenoreos Europa tremiſcat ad Auſus.
Quæ fera Virginibus parcere nouit, Hic eſt.

Præclaus Lanckoronski
Palatinides Braclauień.
St. Acad. Crac.

AD ILLVSTR. & REVERENDISSIMVM DNVM,

EPISCOPVM

Vladislauiensem & Pomeraniæ, &c. &c.

Patronum & Fautorem Amplissimum.

PRÆFATIO.

QVam in Parnasso Diui Iagellonis, Plaudentibus Musis Tuo Nomini audiui ingeminari Panegyrim, eandem nunc in Auspicatam Tui aduentus decreui præsentare gratulationem Illustr. & Reuerendissime Dñe. Non licuit mihi aliter, & spes Tuas, & mei officij partes implere omnes, nisi Tibi hoc, quod cõmunio sanguinis iubet, & Frater meus nuper, incepit, ego modo contendam venerationis literariæ tributum exhibere. Ingratæ omninò viderentur sibi literæ, nisi Tibi hanc, quam tu illis gratificabaris abundè, regratificari conentur propensionem. Ego verò, quî vt mutus Harpocrates silere possim? cum vel audere aliquid calamo; teneritudini meæ laus sit, & elinguem etiam Cræsi filium Atyn in discrimine Patris sui, ruptis naturæ repagulis sciam exclamasse: Pater est, in quem vibras ictum, Miles ne feri. An verò Auspex libertatis Romanæ Brutus, dum in

Parnaſſo magnā Matrem oſculatur, aliud quid ex Oraculi fide referret, quā quod aliquis poſthac Locutius retulit. *Æthercam ſeruate Deam ſeruabitis Vrbem.* Nihil ego hic præſagire volo. Nequè enim ego js ſum, qui velut Anſer inter Olores, plùs audeam, quam licet, obſtrepere, ſed Apollo Parnaſsi Muſarumq; præſes, prout Res, Pòéta, Heteroclyta, eſt, vel dum furit, idipſum vaticinari videtur. Tu interim Illuſtriſsime Præſul, cui in ſpecula Senatoria conſtituto, videre, ne quid Reſpublica detrimenti patiatur, antiquiſsimus ille Gnieuoſsianus Oſſolinianusq; vigor dedit; patieris à me id, infantili planè balbutie Tibi commemorari. Proinde dum ego, tàm meo, quàm totius Academicæ Iuuētutis nomine, CHARITES has pediſſequas Muſarum Tibi in occurſum expedio, identidem Te Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Præſul, oro atq; obſecro, Vt quidquid audaciâ peccatum eſt, teneritudini ignoſcens meæ, tàm Matrem Academiam cuius nunc lactamur omnes viſceribus, quàm Nos, Almo, vt ſoles benignus, promoueas patrocinio.

Illuſtriſsimæ & Rn̄diſsimæ Celſitudini Tuæ deditiſsimus Cliens & Seruitor.

Hieronymus Lanckoronski,
Palat. Braclau.

VATES.

LAVS MAGNA MAGNIS DEBITA. Non ego
Vergente nostrum Sole sub Arcticum
Priscos Camænarum furores,
Hic sub Hyperboreo Trione
Canam profanus: Non ego Tytyron,
Nec fluctuantes frugibus areas:
Quamuis Coronatis Aristarum
Arua procul, segetumq; turmis
Risère longùm: prata licet suis
Suetum Cicadis deproperent melos:
Inuitet olim feriari
Bucolicum Chorus ille Thyrsim:
Cui Rura cordi, cui Melibæia
Fœcunda Rerum, castra perambulat
Ceres: supinatosq; gaudet
Triptolemus reserare culmos.
Me sacra pronùnc, plectra vocant meis
Audita Musis; me Latialibus
Delubra Sacrorum petita,
Ex adytis, Jubiliq; poscunt,
Vtcunquè Vatem! Sic iuuet interim
Aduecta longè Munera sanctiùs
Pensare votis gratiarum
Gratifico celebranda buxo.
Auditis ohe Pegasides, cui
Sudetis Auri! Vester ad Inclytas
En Præsul Aras, cui Smaragdis
Nempe pedum, Tyrioq; vittas

Sculpsistis ostro: Cui Adamantinâ
Vladslauiani muneris Infula
De more Pastorem redonans
Plaudit Honor redimire Frontem.
Hic hic Poloni Nauita Nominis
Jllustritatis Sarmaticæ Pater
Nostris propinquauit recenter
Finibus, & Reduci, Curulem
Germana recti, candida Faustitas
Quam pone virtus: grande senaculum
Præire Ductori paratæ
Mille viam glomerant Cateruæ.
At Tu triumphi vectus in Essedo
Circumsonanti Murmure Gloriæ
Redux GNIEVOSSI, dum paternas
Rite subis venerandus oras,
Procede felix! Se Tibi Lechia
Beata pandit; fundit inertia
Armenta, Pastori, reducta
Cuiauijs vegetanda lustris.
Postquam relictis SARMATIÆ iugis
Hospes Latinum transieras Solum
Tum Sospitatori litabat
Perpetuis adolere Ceris
Votisq; fletuq; & pretio, & prece,
Vrgebat illos, pro reditu Ioues.
Nunc dum salutandum videbit
Romuleis remigrasse Sacris,
Redire gaudet. Gaudet & illico
(Episcopales inter adoreas.)
Herbas, salutatoq; florum
Germen agens replicat Tapetas.
Audiuit ingens Carpatus, & Tuum
Quæsiuit vltro Nomen in omine
Numen Tiaratum salutans
Ore licet taciturnus Heros.

Et dum

Et dum propinquas; Mox Academiæ
Subrisit Echo. Me quoq́; desides
Tentare neruos, sistra, Buxum
Cum Cytharis Heliconis, vltrò
Audax volucri carminis alite
Apollo iussit, Iussit in obuiam
Despecta quantumuis Minerua
χαῖρε *suum renouare iussit.*
Coruos Poetas, Pegaseum melos
Cantare credas? Sic Tibi consonum
In χαῖρε *vocales resoluunt*
Gutture degenerante, chordas.
Hinc χαῖρε *priscum, dum ferimus Tibi*
O Magne PRÆSVL. Vota simul damus.
ECCLESIÆ, REGNI, LYCÆI,
Ore triplex referendo SALVE.

I.

Quem saluere cupit Respublica: χαῖρε *Senator.*

ARAM SALVTIS
Tibi erigat, necesse est Polonia:
quæ semper Tibi debebit salutationem
nisi publico authoramento
inauguratam reddat Tibi
Quam tu illi & Senator & Episcopus dabas
SALVTEM.
Genus Tuum, an ingenium priús
miretur sagax posteritas!
Certè dexteritate rerum Agendarum
Domi & Foris, in Pace & in Bello
in Curia Regum, & in Senatu
vbiuis Magni.

Quam à Maioribus ſuis; vltra metas Poloniarum
regalem ſortiti ſunt libertatem
gentilitio ſtemmate Regium ſeruant vigorem
GNIEVOSSII.

Pridem

Regina virtus coronare parabat
Auita veſtræ gentis merita.
Sed qui poſsit meliùs? quam expanſis ad Cælum manibus
Tæniâ immortalitatis conſignare
quam à Superis impetrauit?
Subiugauit & Belluas Tibi
vt nihil induſtriæ Tuæ non
expugnabile teſtaretur.
Dominari iuſsit ſuper vniuerſa
quæ omnia ſubiecit pedibus Tuis
inſuper & fera pecora Terræ.
Quanquam Virginis ea laus eſt propria; fuitq;
vt maiorem conijciamus eſſe virorum.
Virago hæc extirpauit primo è beſtijs feritatem
& quid mirum? ſi poſt ex inimico Fratre furorem?
vrſus pro herbâ victrici offert Roſam.
Credas manibus expanſis
cælitus dari!
Quodſi vt Monſtrorum domitor inter ſydera Nemææ Leonem victum,
ſic hæc Phænomænon collocaſſet ſuum?
Libenter Nemeſis Iuno hanc ſuper Vrſum & Libram
Aſtream videret.
Verum expectat Zona hanc Temperata
Quæ ſigniferum nouo prodigio claudat.
Antequam incipiat Polum
Polonum hæc Sydera ornent Senatum.
Semper in Auge
Multis hæc ibi coruſcabant Splendoribus.

Maiores

Maiores Tuos quærit quiſpiam?
ni quis minor argui velit ex moribus Tuis diſcat.
Latere non poſſunt qui abundè patent in Te.
Obſcuritatem neque hic ſuſpicari fas eſt
A quibus Tu Illuſtriſsimus prodijſti.
Hinc
Septemtrionali cōcolorem Marti Proſapiam,
qui ſapit, videt.
ignorare poteſt, ſi quem Pallas & Bellona contempſit.
Equidem cæcitatem ei præſagit Natura
quem lippiens in alienis ſplendoribus Liuor
Tenebras quærere cogit.
Vt videant Talpæ id. quod Lynces videre non poſſunt.
Quocirca
Quos Reges honorant, Patria grata complectitur
Boni Reipub. Ciues ambiunt;
malus eſſe debet omnino js
quem vel aliena Bona diſcruciant
vel inuidere faciunt ſua.
Gratuletur ergo Polonia Saluti
quâ vel ipſa reſpiraſſe videtur.
Quem Pacis Caduceatorem
tot obitis legationibus felicem, & expeditum
Quem Senatorem Regni
fortem pro dignitate, & offenſionum pro Repub. impauidum
Quem vbiuis locorum
Virum, & Ciuem Bonum,
antiquæ Reipub. Aſſertorem eximium cognouit.
Huius
vt pro reditu olim

sic nunc

ſic nunc conceptis pro incolumitate votis iucunda Catastrophe ad Aram ſalutis affixa χαῖρε Pòëtico

Veneretur

aduentum.

Ergo plaudite Præſuli.

O Ciues Patriæ plaudite Præſuli
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima
Redit fatidico Neſtore dulcior.
Ergo plaudite Præſuli:
Scitin? quam Lechico maior Acinace.
Quæ & quot? compoſuit bella ſalubribus
Legatus Patriæ Conſilij modis
Ergo plaudite Præſuli:
Quidquid Chriſtiadum eſt cernere Principum
Annon hunc patrij Mercurium Ioues
Ad diuerſa dabant Munia Nuncium
Tanti nominis Herculem?
Quam magnum ſtupuit Danubius ſuo
Conciuem Imperio? quamue fidelibus
Perfectum placitis vidit Iberia
Plaudens æmula Præſuli.
Felix ille ſui dotibus ingenî
Et felix animi robore! dum parat
Gliſcentes ſtudijs Franciadas nouis
Complanare Caducifer!
Quem non perfidia deciperet dolis?
Guſtauus Liuonis cautibus irruens
Dum incautos temerè ſollicitans Duces
In partes trahit impias.
Audax conſilium mole tamen ſuâ
Collapſum mediâ parte referbuit;
Texiſti Patriam Palladis ægide
Præſul proſpiciens Tuis.

Nec nunc

Nec nunc Romuleum commemoro iubar
Queîs Christi Ecclesiam suppetijs iuues.
Te, Te, Sarmaticæ Themydos vnicum
Noscet posteritas Ducem.
Felix Ecclesiæ Pastor! Oues Lechi
Gratantur reduci, viuere prosperum;
Dicunt; Præsuleis crescito Honoribus
Æternos peragens dies.

II.

Pastor & Antistes gregibus sub Pascua Salue.

NAM CVIVS ECCLESIA DEI.
Tutelam magis ambiat quam eius?
Qui Iustitiæ virtutem in se omnem continentis
Vindex inoffensus
non soluere legem, sed adimplere;
infirma sanare, conuulsa alligare;
quærere etiam venit quæ perierant!
Bonus Pastor
Imò bono melior, qui pro ouibus nedum suis.
Vt non discerpantur, restitit:
Mercenarium quis vnquam crederet?
si non fugit; patrocinium!
Animam quoquè daturus,
si indigeant aliquando
Sanguinem, si sitiant aquas cum gaudio
de fontibus Saluatoris.
Quanquam.
Non temerè Te Ossoliniæ Asciæ incorporatum
Vel Cuiauiensi Oræ præfectum Antistitem

ſic, vt erat in Fatis admiramur.

Ille

Cui dicere facere eſt

Ex vtero vocauit Te, & conſtituit ſuper gei.

Vt Ædifices.

Nec Hyppolita Amazonum peltata

Sed Pallas Oſſolinia hanc Tibi porrexit ſecurim:

Te Duce

Vt ſecure Dei procedat Eccleſia

(auſculta Præſul ſapientiſsime)

Verbum Æternum ait.

Ego ſum Dominus, qui dico. Hieruſalem

Ædificaberis. *Iſaiæ c. 44.*

Hinc

Capitula plura Tuis ornari poſcebant meritis

nam vnico non capiebatur tanta virtus ſtallo.

Regis Magni Secretarius

dum ſecretiora Eccleſiæ penetralia ſubis

Bono omine Eccleſiam Copriunicenſem

in Abbatia dedolare cæpiſti;

In Vicinia Hæreſeon frequenter illa Oſſo-

linianum petebat Acumen.

Ergo

Vt inuia virtuti nulla via

ſic meritis nullum tempus ſerum eſt.

Nouit Pomerania quid loquamur:

Expectat Pruſsia, quod pollicemur!

Vbi iam à fidei Cynoſura incipiens

Solem affulgere cæpiſti;

ad Emporium illud Poloniarum

vt nauis

Vt nauis Institoris de longè portas panem.
Et à porta Cæli, in portum Poloniæ
Episcopus,
ex promontorio Bonæ Spei Tuo,
vt de monte Oliueti
Veræ Lucis radios vibrabis.
Ideò Te supra Vładisłauiensem Cathedram
virtus Tua extulit;
pridem Crusuiciensem Regni quondam Metropolim,
transgressa,
Vt duplici nomine Vładisłauiano-Cuiauiensis
Ordinarius,
sapientiæ gubernaculo,
Totum illum Gnieucouiensem tractum renoues;
quem iam nomine præscripsisse videris.
Sed!
Dabunt Diui propitij omen auspicatum:
Diuisum Imperium terræ
Rex ille Auium Ferarumque: qui fecit vtraque Vnum,
Vt Tu sub Infulam,
sic ille sub coronam componet.
Nam & coronam Regni tractare, Tu
cum fortuna volet tuo iure PRIMAS ES.
& si virtus patietur, primus fies.
Felix igitur Patria Rauitis!
sed nec Ecclesia minus.
Fortunata dicitur, quæ à tua Fortitudine pendet:
tum demum vtrique satisfieri putas,
dum vtrumque vt Aras & Focos tueris.
Quocirca
Quousque Ecclesia Dei perennabit
Cui nec portæ inferi præualebunt.

Quamdiu Sacri Ordinis Senatum habebit Polonia.
quæ soli Domina, poli æmula,
plusquam Gordio Nodo ordinauit
coniunctam hanc Ordinum Charitatem,
Tamdiu GNIEVOSSIVS Antistes.
Verus Patriæ Pater
in Senatu Oraculum
in Iustitia Asylum.
in eloquio fulmen, ac flumen.
gratis, non ingratorum Ciuium dicetur pectoribus.

Expectatus ades!

ERgo qui raptum Themydos salubri
E manu clauum, datis in proteruæ
Jura Fortunæ, Dominâ regentes
Publica sorte.
Jte fallaces procul, ite technæ
Artibus non hæc Dea nota vestris.
Si Themys mundum regat, inde sortis
Regna facessunt.
Dux Themys, vitæ, sapientioris
Consilî mater, soror æquitatis.
Non timet, fractus, licet in profundum
Corruat orbis.
Hac gubernaclum moderante, Præsul
Non quidem Colchæ rutilantis Auro
Vellus auectum pecudis, Polonis
Erogat Oris.
Non Erythræo, nitet hospes auro
Non Hydaspæis opulentat alueis.
Hæc ferant, si quos, sacra, seu Auara
Torquet egestas.
At Pius Præsul, vehit in paternum
Quêis præit Gazis opulentus orbem;
Quæ Tiarati, decuere, ferri
Numinis ore.

O Fides

O Fides, ô Fas, ô amœne salue
Candor in nostro Lare; captiosus
Concolor vero Dolus, & superbæ
Cedite Laruæ.
Alteras scimus vehis inde Gazas
Addis & vectis Diadema Gazis
Sit fides vati, superest, fides hac
Sceptra capessat.
Vos quibus sceptri facilis potestas:
Nuper Ascræo, tenuisse vati
Traditis sceptrum, tenuisse sceptra
Pandite Musæ,

III.

Et Tibi, quam seruas, Academia, Chære propinqua

Salutaribus per Te munita præsidijs.
Academia
quidni, in commercio Patriæ & Ecclesiæ.
quarum Ancilla est
conetur salutare?
Alma Mater, dum sub pondere erigitur vt Palma
Si literas Tibi omnes suas,
(nam linguæ inaudaces titubant)
in redhibitionem gratitudinis emittat
Duæ illæ, vel potiùs Vnus qui est. Α. & Ω.
copiosam mercedem verbo æterno perorabit.
Quid? Musas Tibi, in occursum expediat?
at ô fatum literarum!
(tacete Semiuocales Musæ)
mutas esse expedit.
Camænas educat! Pænituit esse amænas:

Lyras fortaſsis? delirare putantur.
An Apollinem? at vel ipſe imberbis eſt.
nec ante pilos ſapere conceditur.
Æſculapium cogitaret, niſi quod ſenium etiam
antiquius Patre Apolline, ſimularet
à Dionyſio ſibi caueret.
Permittes Illuſtriſsime Antiſtes
ad quem omnibus Humanitas permittit:
vt ædem Salutis huius intrans,
ad quam per fanum Concordiæ, patet aditus,
Tuâ præſentia inaugures.
Non contemnes Apollinem, vt vt eſt imberbis,
qui non caprire, ſed ſapere nouit
Vt ſceptris, baculo ſenectutis ſuæ, coronam fulciat.
Mento caneſcunt alibi? hic mente.
Capillo alij? hic animo.
Facie plerique? hic pectore Candidi.
Per profeſsionem virtutis
matureſcimus omnes.
Vt virtus omnes, qui tendunt, admittit ad ſe;
nec annos, nec ætatem reſpiciens;
Sic tempora certe; virtutē non prima negant, non vltima donāt.
Mediam, creditur Virtus ætatem ſibi
legere, quæ per viros legitur.
At extra Acherontem, iam Charon eſt
Illi quos dolebamus mortales genitos eſſe,
iam immortales facti ſunt,
quod ſi poſt dolorem, parentalia perpetuamus,
æternum nil niſi præficari libet!
Eheu? Dum capitis niues præſtolamur
labor improbus non euincere poteſt id.
quod diſcretioribus ſæculis
non liuidè; neque cum tantis importantijs.

liberali-

liberaliori temporum clementiā
nobis elargiebatur.
Et quid; proh Diuûm hominumque Fidem!
quid consilij opus; nisi vt oleum & operam
Sub Iouem, à Saturno transferamus?
Vita nostra (ait Seneca) non pateat multum
sed pendat plurimum.
actu illam æstimemus, non tempore.
Celeritatem virtutis Canities consequitur;
plerumque ante venit natura properans.
Sic fatis placitum est!
Nec tamen effætam Parentem quis obganniat
quæ semper Alma est.
Etiam ante decrepitudinem semper similis sui
semper canescit meritis, quæ in hoc
fuco sæculi, Candoris Academici non cerussat, nitorem:
Ergo in hoc atrato Pullæ Fortunæ Syrmate
Solus hic Candorem maturitatis neget
Cui Alba hæc virtus disgregauit visum.
Vtinam videntes non videant, & scientes non intelligant!
Tu
è longinquo quasi Sagum conspiciens Togam nostram
Illustrissime Antistes
fac illustres exortu Tuo, Negotium hoc perambulans
in tenebris Fortunæ suprà Nos alternantis.
Ideò Te fortè olim Academia
non habuit Filium
Vt Te modo possit habere Patrem.
In hac quam deflemus, patrocinij miseria
Iagellonicam nobis benedictionem restaura
Quod Stephanus olim Prudentissimus Rex
Si (inquit) mihi prælio singulari, pro Regno pugnandū esset
E id negotij

id negotij non alteri sed IOANNI GNIEVOSSIO darem
Præstes nobis, quod Diuus Iagello susurrat.
Si singulari patrocinio tegenda sit
Academia publica Regni
id negotij non alteri, sed
Præstiti Antistitum Nicolao Gnieuosio
committimus.
ohe Superi!
FIAT, FIAT.
& vltra.

ETiam supino laudis ab æquore
Resurgo Præsul. Surget Honor Tuus
Victurus æternùm, Polonis
Irriguis Heliconis hortis.
Afferte neruos, sistra, chelym, Tubas
Ornate buxum, tendite barbita
Plectrisquè, cordisquè, metrisquè
Pierides iubilate vestris.
Hic est Poloni, gemma Senaculi;
Hic est equestris Lucifer Ordinis
Hic est, abesto Liuor, hic est
Os Lechiæ, columen Senatus.
Veni Poloni Nominis Hercules
Veni Lecheæ Dux Academiæ,
Ecclesiæ veni Columna
Prosperiore tui salute.
Bene auspicato non sine Numine
Exultet omni Lechia climate,
Ohe silebo. Præsul, audis?
VIVE DIV. ROGAT IPSA, VIVE.